DE MORBIS CUTANEIS IN GENERE DISSERTATIO INAUGURALIS...

Simon Batsehes



DE

Morbis Cutaneis

IN GENERE

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS DIRECTORIS AC PRÆSIDIS FACULTATIS MEDICÆ SPECTABILIS DOMINI DECANI NEC NON CLARISSIMORUM D. D. PROFESSORUM UT DOCTORIS MEDICINÆ LAUREA SUMMIQUE IN MEDICINA HONORES AC PRIVILEGIA RITE CONSEQUANTUR IN ANTIQUISSIMA AC CELEBERRIMA UNIVERSITATE TICINENSI

AUSPICE

D. DOCTORE THEODORO HELM

Clinicae Medicae Therapiaeque Specialis Prof. P. O. Directore Nosocomii Universalis etc. etc.

UNA CUM THESIBUS DEFENDENDIS

MENSE FEBRUAR.° ANNO 1845

PUBLICÆ DISQUISITIONI OFFEREBAT


SIMON BATSEHES

Galicianus Leopoliensis.



TICINI REGII

EX TYPOGRAPHIA FUSI ET SOCII.



VIRO PRAESTANTISSIMO

DOMINO DOMINO

Arnoldo Loewe

MEDICINAE DOCTORI

OBSEQUII REVERENTIAE

ET

GRATI ANIMI CAUSA

TENTAMEN HOC INAUGURALE

HUMILITER

OFFERT

AUCTOR.

746

Omnis adfectio quae physico-vitales cutis conditiones laedit morbum cutaneum sistit. Isti morbi aliisque nominibus appellantur atque generatim sub exanthematis, efflorescentiae cutaneae, impetiginis etc. nomine veniunt.

Cutis externum totius corporis involucrum praebens, ex pluribus partibus composita, textu nempe cellulari, vasis sanguiferis, lymphaticis, nervis, glandulis sebaceis, pigmento, epidermide etc. maxima sensibilitate donata multiplicibus functionibus inserviens continuum cum potentiis externis certamen sustinens strictissimo cum internis organismi partibus nexu devincta, nil mirum si tot atque diversissimis morbis obnoxia sit. Quivis porro textus ex quibus cutis componitur, nec non appendices ejus; uti pili, ungues specialium morborum sedem sistunt.

Quammagna generatim ad morbos cutis dispositio in homine est; tamen haec quantitative et qualitative a diversis momentis modificatur; ita non tantum varietas individuorum, sed diversae regiones et diversa substrata integumenti communis varium gradum praedispositionis ostendunt.

Haec differentia dispositionis ad morbos cutaneos in diversis subjectis, praedispositio nempe individualis a sequentibus momentis dependere videtur.

1.° *Varietas* hominum, ita ut alba atque vasorum abundans cutis Caucasici, flavum integumentum Mongolici, nigrum Aethiopis et cupreum Americani variis morbis aggrediantur.

2.° *Aetas*. Quaevis aetas ad propriss deformationes cutis disponit, ita juventus ob majorem abundantiam vasorum cutis maximam proclivitatem ad morbos exanthematicos manifestat.

3.° *Sexus*. Quamvis cutis conditio in utroque sexu quodammodo differat, attamen nullus datur systematis cutanei morbus, qui sexui uni alterive exclusive proprius dici possit. Plurimi vero morborum cutis longe frequentius feminas invadunt, quam mares

4.° *Constitutio corporis*. Sunt morbi cutis, qui nulli fere constitutioni corporis parcent; sunt qui praecipuè vel debiles vel robustos aggrediuntur. Praeterea nonnullorum hominum cutis, ita constituta est, ut a quacumque demum causa sive externa sive interna facillime morbis cutaneis afficiatur.

5.° *Opificium*. Ob immunditiem, aliquando specificam, nec non ob alias causas, opifices haud pauci morbis cutaneis subjiciuntur; exemplo sint textores, sartores, pictores, nautae, mercatores vestium antiquarum, lotrices, auri-

gae, laniones, rustici etc. qui variis morbis cutaneis disponuntur atque defatigantur.

6.° *Cultura cutis.* Quo magis cutis munditics negligitur, eo facilius morbi cutanei superaccedunt, eo quod substantia mucosa quae in cute cumulatur chronicas irritationes provocat, sive etiam eo quod perspiratio cutanea impediatur et pervertatur indole.

7.° Alimentorum in cutem influxus jam antiquissimis medicis notum fuit, nam ab usu nonnullorum ciborum uti piscium, pinguedinum etc. plures impetigines oriuntur.

8.° *Tempestas, genium epidemicum.* Ita dominant praecipue tempore vernali et aestivo morbi exanthematici v. g. scarlatina morbilli etc. et econtra autumno et hieme, morbi cutanei tum acuti tum chronici de die in diem imminuuntur.

9.° *Transpiratio cutanea.* Uberrimam morborum cutis fontem sistit transpiratio, aut suppressa, aut nimia, ant indole peccans. Adfectiones cutaneae persaepe in alterata indole aliarum secretionum originem agnoscunt.

10.° *Sanguis.* Plurima facta nos docent, sanguinem, sive nimium, sive retentum, sive extravasatum, sive deficentem, sive alio modo peccantem, inter causas morborum cutaneorum praecipuum occupare locum.

Hisce delibatis relate ad praecipua momenta disponentia adfectionis cutanae, modo aliqua de causis occasionalibus proferam.

MOMENTA OCCASIONALIA CUTIS MORBORUM SUNT.

1.° Momenta mechanica uti: densitas, vel teneritudo cutis maxima.

2.° Momenta atmosphaerica uti: lux, electricitas, aër siccus humidus, et praeprimis improvisae aëris et temperiei mutationes dum corpus est aestuans et madidum.

3.° Momenta chemico-dynamica.

Per resorptionem substantiarum irritantium, aut cujuslibet indolis noxiae.

4.° Momenta mere dynamica.

Huc referuntur terror improvisus, insomnia terrifica, animi pathemata, et sic porro.

5.° Momenta sympathica.

Utpote essent: maculae biliosae in morbis diversis hepatis.

6.° Contagia uti: scarlatina, morbilli, variola etc.

Morbi cutanei diversam sedem agnoscunt, et hoc intuitu numerantur.

1.° Morbi cutis.

2.° Morbi pilorum.

3.° Morbi unguium.

Relate porro ad morbos qui cuti insident: sunt nonnulli qui sedem figunt in epidermide, vel corio, aut rete Malpighii, alii in glandulis sebaceis.

Indoles morborum cutis adhuc alta obvelatur caligine, et etiam quoad formam harum adfectionum diversae adhuc auctorum sententiae pro-

feruntur. Ut aliquo tamen ordine procedam in hacce dissertatione vestigia clarissimi Professoris Fuchs sequi mihi perplacuit, et proinde diversos systematis cutanei morbos sequenti ratione distribuere optimum babeo.

DIVISIONES QUOAD FORMAM.

Relate ad formas morborum cutaneorum distinguuntur.

1.° *Maculae.* Super cutim non elevatae plus minusve circumscriptae cutis ipsius decolorationes sunt. Sedem vel in rete vasorum capillarium, vel in corio aut in muco Malpighii habent.

In primo casu rubrae sunt, atque digito premente evanescunt, in secundo autem diversi coloris sunt, atque digito comprimente perstant.

2.° *Squamae.* Sunt lamellae albescentes et opacae a cuti secedunt et pendent ab adaucta et perversa epidermide.

3.° *Pomphi.* Sunt turgescentiae partiales cutis irregulares, quae in superficie planitiem habent, et sunt vel rubrae vel ejusdem coloris cutis.

4.° *Papulae.* Sunt minimae atque acuminatae prominentiae cutis sub epidermide cum basi inflammata, nullum liquidum continentes, quae plerumque desquamatione furfuracea terminantur.

5.° *Vesicae.* Sunt parvae prominentiae epidermidis, fluidum serosum et pellucidum continentes.

Sedem praecipue in membrana vasculari figunt, et ab epidermide circumdantur.

6.° *Bullae.* Sunt magnae prominentiae epidermidis, formae irregularis limpido fluido repletae.

7.° *Pustulae.* Sunt elevationes epidermidis figurae nunc globosae, nunc conicae, pus aut lympham continentes.

8.° *Tubercula.* Sunt eminentiae durae carnosae cutis sine fluido quae nullam dispositionem ad suppurationem manifestant, figurae haemisphaericae et nullum secretum continent.

9.° *Fungi.* Excrescentiae molles carnosae nullum fluidum continentes coloris varii. Occupant potissimum corium.

10.° *Phymata.* Sunt tumores densi, magni, rotundi, irregularis figurae, sedem praecipue in textu cellulari agnoscunt, et libere moventur.

DIVISIONES QUOAD NATURAM.

Hoc sub intuitu distinguuntur in tres classes.

1.° Morbi cutanei qui primitivam sedem in cute, atque nullum nexum cum internis organis habent, ita ut corporis integumentum idiopathico modo adfectum quasi focum horum sistunt et nominantur.

Dermatoses.

2.° Morbi qui non ab adfectione primaria cutis, sed a dyscrasia sanguinis pendent, et cutis

nonnisi receptaculum partium morbosarum a sanguine segregatum sistit; — Vocantur *Dermapostases*.

3.° Adfectiones autem cutis cujus fomes nec in dispositione morbosa cutis, nec in dyscrasia sanguinis quaerendus est, sed a proprio contagio in internis membranis organismi orto dependent, cum febri incedunt, et si ad altiorem gradum evehuntur etiam cutim in compassionem trahunt; nominantur *Dermexantheses*.

CLASIS PRIMA DERMATOSES.

Character hujus classis constitit in eo quod isti morbi cutis semper independentes ab internis organis sunt, et febris deest, vel si febris oritur, semper secundario modo ab adfectione locali ingeneratur.

Raro morbi hujusmodi symptomata aliorum morborum sistunt.

Processus morbosus a quo cutis idiopathice afficitur, triplici modo induci potest, nimirum aut per formam morbosam cutis, aut per indolem sanguinis alienatam, aut per systema nervosum adfectum. Hinc haec classis tres ordines complectit nempe 1.° Morphonoses 2.° Haematonoses 3.° Nevronoses.

ORDO PRIMUS MORPHONOSES.

(Forma morbosa)

Characteres sunt sequentes:

1.° Cutis solummodo afficitur, quin sanguis et nervorum systema in compassionem trahantur.

2.° Non tantum epidermis sed etiam pigmentum cutis, pili et ungues afficiuntur.

3.° Congenita cutis alteratio per excessum vel defectum adest.

Haec alienatio jam in embryone locum habere potest.

4.° Morbi huic ordini pertinentes nunquam texturam internam cutis mutant.

5.° Vasa cutis nunquam morbose afficiuntur, sed mechanico modo alterantur e. g. per vulnera.

6.° Nervi cutis tum manifestant dolorem, quando mechanico modo laeduntur, aut per hypertrophiam comprimuntur.

7.° Perspiratio cutanea, se et excretio cutis atque sensibilitas nunquam mutatur.

Aetiologia. — Nonnullae formae morbosae sunt adnatae, aliae per potentias nocivas provocantur.

Non raro causis nocentibus adhuc ignotis evolvuntur.

Decursus horum morborum, excepto vulnere semper est chronicus.

Exitus. — In morbis hujusmodi absque ulla complicatione, prognosis convenit fausta. Si vero aliae adfectiones superaccedunt, judicium prognosticum pro diversitate casus plus minusve reservatum proferendum venit.

Cura semper palliativa est, et in multis casibus ars ullam medelam afferre valet. Remedia interna frustra adhibentur.

Hic ordo comprehendit quatuor familias naturales.

1. Teratoses (vitia adnata).
2. Hypertrophiae.
3. Atrophiae.
4. Traumatoses (vulnera).

FAMILIA PRIMA TERATOSES.

Characteres. — Morbi hujusce familiae semper tempore evolutionis foetus in utero adhuc inclusi oriuntur. Functio cutis non turbatur.

Morbi hujus familiae durant per totam vitam.

Aetiologia. — Momenta occasionalia adhuc sunt obscura; quid autem nobis de horum morborum genesi notum est ad sequentia momenta reducenda sunt :

1.° Infantes parentum debilium orebrius hasce daformitates ostendunt.

2.° Omnes formae hujus familiae facilius feminas quam vires aggrediuntur.

3.° Sunt deformitates non raro haereditariae.

4.° Vehementes affectus psychici matris hisce deformitatibus favent, uti laetitia, terror sollicitudo, etc.

5.° Victus pravus, usus remediorum narcoticorum, potus spirituosi, et omnia alimenta nociva, quae mater tempore graviditatis in usum trahit, inter potiora momenta disponentia et occasionalia harum deformitatum habentur.

Decursus.

Teratoses per omnem vitam durant, nisi ars in auxilium vocetur.

Prognosis. Pauci eorum vitae periculum adducunt uti: Adermia — naevus fungosus.

Cura. Esset indicatio, defectum alicujus partis organismi restituere, et excessum removere. Primae indicationi nullo pacto satisfacere possumus; alteri vero ars emolumentum afferre potest.

Haec familia dividitur in duas cognationes nempe: dysmorphoses et heteromorphoses.

Cognatio 1.ª Dysmorphoses (vitia per defectum)
Sunt vitia per defectum a retenta evolutione.

Comprehendit quatuor genera:

G. 1. Adermia (defectus cutis)

G. 2. Albinismus (defectus pigmenti)

G. 3. Atrichia (defectus pilorum)

G. 4. Anonychia (defectus ungium)

Cognatio 2.ª Heteromorphoses.
(vitia per excessum cutis)
Sunt vitia per excessum propter luxuriantem evolutionem.

Continet etiam quatuor genera.

G. 5. Naevus (macula materna)

G. 6. Ochthiasis (excrescentia cutis adnata)

G. 7. Polytrichia (hirsuties adnata)

G. 8. Palonychia (excessus unguium)

FAMILIA SECUNDA HYPERTROPHIAE.

Characteres.

1. Pars aliqua cutis, aut plures eorum massa volumine, magnitudine, ambitu, crassitie adeo a norma deflectunt, ut massa organica majore volumine gaudeat quam in statu normali siue qualitativa permutatione textus.

2. Incrementum cutis fit paullatim, absque irritatione, congestione aut inflammatione atque sine rubore.

3. Hypertrophiae nunquam majorem extensionem assumunt, et quasi semper formam circumscriptam habent.

4. Functio cutanea minime turbatur.

5. Decursus eorum semper sine perturbatione functionum organorum internorum atque afebrilis et chronicus evadit.

Aetiologia. Cutis mollis atque tenera majori dispositioni ad hypertrophiam gaudet. Momenta autem occasionalia sunt efficientia mechanica; uti pressio continua. Attamen dantur formae hujusmodi, quae sine pressione oriuntur.

Decursus. Semper chronicus est.

Prognosis. Omnes hypertrophiae cutis sunt pariculo expertes.

Cura. Producta quae per potentias mechanicas oriuntur, facile per ablationem eorum sanantur. Si ad altiorem gradum evehuntur, caustice directe conveniunt, vel brevius ac certius cultro chirurgico radice extirpanda sunt.

Genera hypertrophiarum sunt sequentia:

G. 1. Tyloma (Calositas)
G. 2. Clavus (Spina pedum)
G. 3. Dermatokeras (Cornua humana)
G. 4. Verruca.
G. 5. Frichauxe (Hirsuties)
G. 6. Onychauxe (Hypertrophia unguium)

FAMILIA TERTIA ATROPHIAE.

Characteres.

1. Pars cutis, praecipue pigmentum aut appendices ejus tabescunt, quin tamen functio atque textura cutis turbetur.

2. Tabescentia pigmenti, unde color cutis et pilorum mutatur.

3. Atrophia appendicum cutis uti; unguium pilorum oritur per minimam nutritionem eorum et tandem decidunt.

4. Atrophiae decurrunt semper absque perturbatione internarum partium chronicae atque afebriles.

Aetiologia.

Cutis atrophiae praecipue aetate provecta locum habent, quandoque autem individua etiam juvenilia aggrediuntur; crebrius sexus virilis quam femineus afficitur, et in nonnullis individuis praedispositio haereditaria invenitur.

Momenta occasionalia adhuc ignota sunt, tamen videtur momenta psychica insignem influxum habere.

Decursus fere semper est chronicus, tamen inveniuntur casus acuti, qui facili negotio in chronicum decursum quoque vergunt, et per integram durant vitam, sine ullo periculo, atque perturbatione functionum internorum.

Prognosis fausta est.

Cura.

Nulla datur rationalis neque empyrica indicatio therapeutica, eo quod morbi insanabiles sunt.

Ad hanc familiam quatuor genera numerantur.

Gen. 1. Achroma (Chloasma album)

Gen. 2. Poliosis (Canities)

1. V. Poliosis senilis.
2. V. Poliosis praematura
3. V. Poliosis circumscripta.

Gen. 3. Alopecia (Calvities)

1. V. A. senilis.
2. V. A. praematura.
3. V. A. circumscripta.

Gen. 4. Onychatrophia (Scabrities unguium)

FAMILIA QUARTA TRAUMATOSES.

(Vulnera cutis)

Characteres. 1. Morbi hujus familiae per potentias mechanicas atque laesionem massae organicae, plus minusve producuntur.

2. Si epidermis, ungues et pili laeduntur, nullus dolor, neque sanguinis fluxus locum habet ob defectum nervorum atque vasorum in hisce partibus.

3. Vulnera cutis dolent atque sanguinem mittunt. Quandoque simplices sugillationes occurrunt, dum epidermis illaesa manet, uti in contusionibus videndum est.

4. Si corium densitatem amittit aut laeditur, margines ad latera hiant, et retrahuntur, ita ut jactura massae cutis in lucem emergat.

5. In locis ubi cutis afficitur, motus atque cutis functio plus minusve laeduntur, atque primo tempore ad circuitum vulneris, secretio et sensibilitas normalis est, porro ob medicatrices vires naturae plures mutationes oriuntur.

Aetiologia. Cutis sicuti organum externum plurimis potentiis nocivis abnoxia est, hinc cutis manuum faciei laesionibus maxime subjiciuntur.

Decursus. Semper acutus est, nisi per complicationes et exitus moram patiantur.

Exitus. Vulnera vel in perfectam sanitatem, vel in alios morbos, aut in mortem transeunt.

Prognosis. Vulnera simplicia omni periculo carent; ubi vero complicata sint, tunc praesagium modo reservatum, modo infelix requiritur pro circumstantiarum diversitate.

Cura. ad forum chirurgicum pertinet.

Genera sunt duo.

G. 1. Excoratio.
G. 2. Dermatotrauma (Vulnus cutis)

ORDO SECUNDUS HAEMATONOSES.

(Morbi sanguinei cutis)?

Characteres. Morbi ad hunc ordinem spectantes, semper primarii sive idiopathici sunt, sedem suam habent in systemate sanguifero cutis: aliquando tamen etsi raro secundarii sive sympathici evadunt; quo in casu quoque systema nervosum in compassionem trahitur. Sanguis vero duplici ratione peccare potest, quoad quantitatem nempe et quoad qualitatem; propterea et secretiones quae semper a sanguine peraguntur diverso modo aberare possunt; ita sub congestione non tantum locum habent depositiones partium colorantium, quarum in gratia color cutis mutatur, sed etiam propter turgescentiam forma mutatur.

Istae vero mutationes morbosae topicae sunt, videlicet ad unam tantum cutis plagam coercen-

tur; systema tamen nervosum cutis haud raro in consensum vocatur.

Aetiologia.

Omnes homines cuti sensili praediti in has disponuntur aegritudines, et quo majori cutis irritabilitate donantur, eo facilius afficiuntur.

Ad causas occasionales referuntur illa omnia momenta, quae vasa sanguifera irritare valent.

Decursus horum morborum modo acutus modo chronicus est.

Exitus. Pro diversa morbi gravitate, extensione et complicatione, diversum nanciscuntur exitum, imo aliquando in ipsam mortem abeunt.

Prognosis. Si aegritudo simplex atque recens est, tunc prognosim felicem admittit; sub oppositis circumstantiis infaustam postulat.

Cura. Semper topica requiritur; si vero reactio febrilis locum habeat, tunc methodus antiphlogistica generalis indicatur.

In tres familias isti morbi partiuntur nempe:

1. Eczematoses.
2. Phlogoses.
3. Typhoides.

FAMILIA QUINTA ECZEMATOSES.

(Secretiones morbosae)

Characteres.

1. Processus morbosus semper est idiopathicus sive primarius.

2. Ad majorem vel minorem cutis plagam extenditur.

3. Secretio cutis est quantitativo et qualitativo modo alienata.

4. Systema nervosum raro in compassionem vocatur.

Aetiologia.

Momenta occasionalia, sive interna sive externa esse queunt.

Ad interna referuntur 1.mo aetas. 2. Sexus 3. conditio cutis.

Ad externa. 1. Incitamenta, uti calor, frigus unguenta etc. pertinent. 2. Cutis neglecta munditics.

Decursus.

Isti morbi magis decursum chronicum quam acutum praediligunt.

Exitus. — In sanitatem, vel in alios morbos, vel tandem in mortem terminantur.

Cura. — Rationalis esse debet, pro diversitate causarum varia medendi methodus requiritur.

Prognosis. — Jam diximus hosce morbos diversos exitus nancisci; ita diversam pariter prognosim postulant.

Haec familia quinque cognationes comprehendit.

Cognatio prima Ephidroses (Sudores anomali)

Adfectiones sunt in quibus transpiratio cutis idiopathico modo quantitative ac qualitative alie-

nata est, sine mutatione coloris atque texturae cutis ipsius:

Genera sunt sequentia:

Gen. 1. Hyperphidrosis (sudor profusus)
Gen. 2. Chromidrosis (sudor colorans)
Gen. 3. Bromidrosis (sudor foetens)

Cognatio secunda Acarpae.

Sunt alterationes idiopathicae secretionis cutaneae, quae cum maculis sive papulis aut vesiculis se produnt et oriuntur vel per congestiones, vel per morbosas depositiones pigmenti aut epidermidis.

Genera sunt sequentia.

Gen. 4. Amorpha (Interrigo)
Gen. 5. Lentigo.
Gen. 6. Chloasma.
Gen. 7. Argyria.
Gen. 8. Pityriasis (Porrigo)

Cognatio tertia Polycarpae.

Ita vocantur cutis adfectiones per morbosam adfectionem secretionis ortae, quae in communi macula plures parvas emioentias praebent, deiu exsiccaotur et in crusta una efformantur.

Genera.

G. 9. Psoriasis (Scabies vicia)
G. 10. Lichen.
G. 11. Herpes.
G. 12. Impetigo.

Cognatio quarta Monocarpae.

Secretiones morbosae cutis, quae parvas circulares sejunctas rubras maculas efformant in quarum centro eminentiae majores quam in praecedente cognatione observantur, quae pariter in crustam unam efformantur.

Genera.

Gen. 13 Strophulus.
Gen. 14. Psydracia
Gen. 15 Ecthyma (Pustula)
Gen. 16. Acne.

Cognatio quinta Seborrhae.
(Secretiones morbosae gland. sebacearum)

Hic veniunt cuti adfectiones, in quibus functio glandularum sebacearum quantitative et qualitative a norma deflectit.

Genera sunt.

Gen. 17. Comedo.
Gen. 18. Seborrhagia.

FAMILIA SEXTA PHLOGOSES.

Characteres.

1. Phlogoses semper primariae vel idiopathicae sunt, et nunquam ab aliquo processu phlogistico organorum internorum oriuntur.

2. Phlogoses cutis ad hanc familiam pertinentes semper topicae sunt, videlicet unam tantum

cutis plagam afficiunt, partes enim tument, rubent, calent et sudor variat.

3. Cutis densior evadit.

4. Secretio partis adfectae est supressa, cutis sicca evadit.

5. Systema nervosum adfectum se praebet per sensum doloris, ardoris, punctionis, pulsationis in parte adfecta.

Aetiologia. — Phlogosibus externis magis obnoxiae sunt illae partes, quae potentiis externis facilius afficiuntur, atque cuti teneriori ac sensiliori donantur. Ad causas occasionales referuntur compressiones, contusiones, calor, frigus, nec non chemica admiuicula

Decursus. — Acutus, vel chronicus esse potest.

Exitus. — Vel in sanitatem, vel in alios morbos uti gangraenam, vel in mortem transit.

Cura. — Antiphlogistica requiritur.

Ad genera pertinent.

Gen. 1. Dermatitis.

Gen. 2. Phyma. (Infl. furunculosa)

1. V. Phyma simplex.
2. V. » Furunculus.
3. V. » Hordeolum.
4. V. » Pernio.

Gen. 3. Paronychia (Panaritium)

FAMILIA SEPTIMA TYPHOIDES.

(Infl. septicae)

Characteres.

1. Restringuntur ad parvam cutis plagam, si autem ad majorem extenduntur superficiem, tunc morbus ab aliqua adfectione organorum internorum pendet.

2. In omnibus typhoidibus tria stadia distincta habentur, videlicet; primum congestionis, secundum productionis morbosae, tertium sanguinis dyscrasiae, vel mutatae indolis.

In stadio primo pars intense rubet, hic rubor cutis, modo fuscus, modo livescens est, ac digito premente disparet; in secundo oriuntur producta, quae valde differunt ab illis in phlogosi normali generatis, et cutis quoque tumida fit; in tertio stadio vel dyscrasiae inflammatio imminuitur, et e contra sphacelus oritur.

3. Incboante tertio stadio, evolvitur febris, quae characterem torpidum sive typhosum induit.

4. Systema nervosum non tantum partis adfectae; verum quoque universale in consensum trahitur.

Aetiologia. — Praeter dispositionem peculiarem, quae in aliquibus advertitur, peculiarem attentionem merentur miasmata quae illas excitare valent.

Decursus. — Semper acutus est.

Exitus. — Abire possunt in sanitatem, in alios morbos, vel in mortem.

Prognosis. — Valde reservata requiritur.

Cura. — Distingui debet in prophylacticam et therapeuticam, ad postremam referuntur diversa auxilia pro vario morbi stadio; ita in primo congestio moderari debet; in secundo producta morbosa eliminanda sunt; in tertio processus gangraenosus compescendus est per antiseptica.

Genera sunt sequentia.

Gen. 1. Anthrax (Carbunculus)
G. 2. Traumatocace (Gangrena nosocomialis)
G. 3. Noma (Cancer aquaticos)
G. 4. Filaria (Vermes cutis)

ORDO TERTIUS NEURONOSES CUTIS.

Characteres.

1. Vita systematis nervosi primario modo, sive idiopathice patitur, vel saltem a norma deflectitur; facultas vero sentiendi morbose adfecta est.

2. Sensibilitas nunc morbose adaucta, nunc imminuta est, primo in casu exurgit dolorosa sensatio, in secundo casu autem habetur Anaesthesia.

3. Systema vasorum nunquam in compassionem trahitur; ubi vero hoc contingat, solummodo per orgasmum simplicem se manifestat.

4. Partes quae nevrosibus corripiuntur, secretionem, temperiem, calorem normalem praebent.

Aetiologia. — Individua majori cutis sensibilitate praedita magis obnoxia sunt nevrosibus cutaneis; istae vero aliquando a momentis atmospbaericis, alias a mechanicis excitantur.

Decursus semper chronicus est; brevior vero est decursus in formis cum sensibilitate morbosa exaltata; nunquam vero per omnem vitae decursum continuant,

Prognosis variat pro diversitate momentorum.

Cura diversa requiritur, pro uti sensibilitas adaucta, vel imminuta est; ita sub adaucta sensibilitate optime praestant narcotica sedantia; ubi vero sensibilitas imminuta est, tuno juvant stimulantia.

Ad hunc ordinem pertinet una familia.

FAMILIA OCTAVA NEURONOSES.

Characteres hujus familiae iidem sunt ac illi ordinis.

Genera sunt sequentia.

Gen. 1. Dermatotyposis (Febris intermittens larvata in cute)

G. 2. Dermatalgia (Neuralgia cutanea)

G. 3. Anaesthesia.

CLASSIS SECUNDA DERMAPOSTASES.

(Depositiones)

Characteres.

1. Morbi qui ad hanc classem referuntur, nunquam cutim primaria ratione, sive idiopathice adfectam praebent, sed semper secundario modo propter alteratam sanguinis crasim, quae ab aliquo processu morboso organorum internorum dependet.

2. Semper symptomata morborum internorum sistunt.

3. Producta quae in cute deponuntur pro diversitate adfectionum organorum internorum a quibus generantur variant; ite ut modo sit sanguis, modo serum, alias lotium, alias bilis.

Aetiologia. — Duplex habetur origo horum morborum, nunc suapte natura evolvuntor, alias accedente aliquo contagio.

Decursus semper chronicus est.

Exitus. — Dermapostases, vel in perfectam sanitatem, vel in alios morbos, aut in mortem transeunt.

Prognosis. — Semper reservata est, aliae dermapostases sunt difficilis sanationis, aliae periculo stipantur.

Cura interna semper requiritur, atque contra morbos internos a quibus sanguinis dyscrasia pen-

det dirigenda est; nonnunquam vero et remedia externa optimum effectum praestant.

Haec classis in duos ordines partitur, videlicet in simplices et specificas.

ORDO PRIMUS DERMAPOSTASES SIMPLICES.

Characteres.

1. Cutis primario modo, nunquam adficitur, sed producta morbosa a partibus internis ad hanc transferuntur.

2. Haec producta corpori heterogenea minime sunt.

3. Dicta producta non tantum in cute deponuntur, sed etiam in organorum parenchymate, ob hanc rem dermapostases periculosae evadunt.

Aetiologia — Processus morbosus non ab aliquo miasmate vel contagio, sed sponte oritur; facilius pueri ac senes hisce morbis aggrediuntur; pauci sunt haereditarii.

Decursus esse potest acutus, subacutus vel chronicus.

Exitus. — Vel in sanitatem, in alios morbos, vel in mortem terminant.

Prognosis valde reservata esse debet.

Cura. — Per remedia interna conamur sanguinis dyscrasiam corrigere.

Divisiones. — In septem familias partiuntur.

Characteres.

1.° Sanguinis dyscrasia habetur.

2.° Sanguis qui e venis emittitur colorem praebet fuscum, caerulescentem, nigrescentem uti in cyanosi et scorbuto.

3.° Color cutis peculiaris est.

4.° Nullus dolor adest.

5.° In nonnullis casibus maculae per universum corpus diffunduntur, in aliis ad unam tantum plagam cutis coërcentur.

Aetiologia. — Oriuntur semper sponte, nonnunquam a contagio gignuntur; infantilem et senilem, uti jam dixi, praediligunt aetatem.

Decursus. — Generatim chronicum tenent decursum, tamen exceptiones fieri debent, uti e. g. purpura.

Exitus. — In sanitatem, in alios morbos, vel tandem in mortem abire queit.

Prognosis. — Praesagium non solum reservatum, sed anceps esse debet.

Cura. — Partitur in prophylacticam et therapeuticam. Quoad primam causas vitare, quoad secundam sanguinis dyscrasiam corrigere.

Genera sunt sequentia.

Gen. 1. Cyanosis
» 2. Pneumatelectasis
» 3. Purpura.
» 4. Scorbutus
» 5. Sclerosis

FAMILIA DECIMA MELANOSES.

Characteres.

1.° Sanguis majorem quantitatem continet principii colorantis et carbonii.

2.° Sanguis materiam propriam melanaticam in diversis organis deponit.

3.° Aposthases melanoticae colorem semper nigrum exhibent; atque sunt maculae non elevatae sub epidermide positae; paullatim efformantur, ac sine dolore.

4.° Prodromi sunt: debilitas, delassatio, et habitus corporis cachecticus.

Aetiologia. — Senes atque debiles majori dispositione gaudent in melanosim. Momenta occasionalia adhuc obscura sunt.

Decursus. — Semper chronicus est.

Exitus in alios morbos, vel in mortem desinit.

Prognosis valde ambigua requiritur, incertum enim adhuc est, an absorptio et exinde sanitas contingere possit nec ne.

Cura. — Rationalis therapia instituenda est.

Ad hanc familiam pertinet.

Gen. Melasma.

FAMILIA UNDECIMA HYDROPSIAE.

Characteres.

1.° Sistunt in peculiari sanguinis dyscrasia, quae abundante seri effusione comitatur.

2.° Haec seri secretio sine dolore contingit.

3.° Incedunt semper cum colore pallido cutis, et habitu corporis cachectico.

Aetiologia. — Praecipue ante pubertatem hydropes oriuntur, et praesertim evolvuntur in individuis senilibus atque temperamento phlegmatico praeditis. Momenta occasionalia sunt illa omnia, quae vasorum vitam deprimunt, et seri praevalentiam in sanguine promovent.

Decursus acutus vel chronicus est, atque ad tempus haud statutum protrahitur.

Exitus vel in sanitatem aut in mortem finit.

Prognosis valde reservata, vel quoque infausta esse debet.

Cura. — Momenta causalia removenda, sanguinis dyscrasia corrigenda, atque seri absorptio promovenda est.

Ad genera refertur solumodo Anasarca.

FAMILIA DUODECIMA CHYMOPLANIAE.

(Metastases secretionum)

Characteres.

1.° Mixtio sanguinis mutata est.

2.° Secretio cutis qualitativo modo est alterata.

3.° Affectiones aliquando ad unam tantum plagam restrictae sunt, alias ad majorem cutis superficiem extenduntur.

Aetiologia. — Disponunt in chymoplanias aetas juvenilis et senilis, tempestas aestiva, mo-

menta occasionalia in depressione functionum organorum internorum quaerenda sunt.

Decursus. — Decursum potius chronicum quam acutum praediligunt.

Exitus. — Vel in sanitatem, vel in alios morbos, aut in mortem transeunt.

Prognosis. — Generatim haud infausta est.

Cura. — In primis causae removendae, dein secretiones suppressae sollicitandae sunt.

Haec familia in quatuor cognationes sejungitur.

Cognatio prima *Choloplania.*

(Metastasis bilis)

Characteres.

1.° Secretio bilis imminuta vel suppressa est.

2.° Sanguis cum bile commixtus habetur.

3.° Principia bilis a sanguine in diversis organis et potissimum in cute deponuntur.

4.° Color in universa cute flavescens est.

Ad hanc cognationem pertinent

Gen. 1. Icterus.

Varietates.

V. 1.	Icterus	Neonatorum
V. 2.	»	Infantum
V. 3.	»	Acutus
V. 4.	»	Chronicus
V. 5.	»	Symptomaticus

Cognatio secunda Uroplania.

(Metastasis urinae)

Characteres.

1.° Secretio urinae suppressa.

2.° Sanguis urinae scatet.

3.° Principia urinae a sanguine in cute deponuntur.

Genera sunt sequentia.

Gen. 2. Uridrosis (Sudor urinosus)
Gen. 3. Cnesmus (Prurigo senilis)
Gen. 4. Paedophlysis
Gen. 5. Pompholyx (Morbus bullosus)
Gen. 6. Esthiomenus (Herpes devastans)
Gen. 7. Urelcosis (Ulcera urinosa)

Cognatio tertia Menoplania.

Characteres.

1.° Menstruatio modo suppressa modo silet omnino.

2.° Sanguis qui ab utero secerni deberet, retinetur, exinde massa sanguinis characteres praebet illius catameniorum.

Genera sunt sequentia.

Gen. 8. Menidrosis (Sudor cruentus e catameniis suppressis)
» 9. Menokelis (Macula menstrualia)
» 10. Menelcosis (Ulcera menstrualia)

Cognatio quarta Galactoplania.

(Metastasis lactis)

Characteres.

1. Secretio lactis vel imminuta aut suppressa est.

2. Cutis sudor vel tantum in una plaga, aut in universo corpore odorem, colorem ac saporem lactis ostendit.

Huc pertinent duo genera.

Gen. 11. Galactidrosis (sudor lacteus)
Gen. 12. Galactophlysis (vesicula lact.)

ORDO SECUNDUS DERMAPOSTASES SPECIFICAE.

Characteres. — Dermapostases non sunt uti in primo ordine corpori homogeneae sed heterogeneae, atque a productis propriis in vita vegetativa ortis constituuntur.

Aetiologia. — Processus morbosus in dermapostasibus specificis, nunc sponte evolvitur, nunc a contagio producitur. Natura horum morborum adhuc incerta est; praecipua autem momenta occasionalia in genere vivendi, et climate quaerenda sunt.

Decursus. — Magis chronicus est quam in primo ordine.

Exitus. — Variat in diversis familiis.

Prognosis. — Sicuti exitus in diversis familiis variat, ita quoque prognosim diversam admittunt.

Cura. — Therapia per remedia interna specifica peragitur.

Hic ordo octo familias comprehendit.

FAMILIA DECIMATERTIA ARTHRAGOSES.

Characteres.

1. Processus morbosus sedem suam agnoscit in sanguine systematis venae portarum.
2. In systemate venae portarum peculiaris materia morbosa acida efformatur.
3. Depositio morbosa aliquando ad accessus contingit.
4. Arthragoses saepissime ab una ad aliam transeunt partem.
5. Materiae in cutim depositae proprium characterem induunt.

Aetiologia. — Aliquando isti morbi haereditarii sunt. Ad momenta vero occasionalia demandantur, aetas provecta, sexus virilis, deficientia motus muscularis, victus lautus, praecipue ex regno animali depromptus, veneris ac meri abusus.

Decursus. — Variat, modo acutus, modo chronicus est, prostremum vero praediligunt.

Exitus. — Vel in sanitatem, in alios morbos, vel tandem in mortem abire possunt.

Prognosis. — Reservata requiritur ex eo quod metastases facile oriuntur.

Cura. — Ante omnia producta morbosa in systemate venae portarum corrigenda sunt; regimen diaeteticum summam attentionem meretur; dein therapia cum remediis internis instituenda est antiarthritbicis.

Genera sunt duo.

Gen. 1. Arthrophlysis (Eczema arthriticum)
Gen. 2. Arthrolcosis (Ulcera arthritica)

FAMILIA DECIMAQUARTA HAEMORRHOIDES.

Characteres.

1. Uti in Arthrogosibus, ita in haemorrhoidibus peculiaris materia evolvitur in sanguine systematis venae portarum, et in pluribus substratis deponitur, atque arthriticae ad instar natura acida pollet.
2. Depositiones pariter ad accessus contingunt.
3. Organa secernentia sunt venae et potissimum haemorrhoidales.
4. Congestiones in toto systemate venoso abdominali oriuntur, quare in ipsis varices locum habent; ob hanc rem procthorrhagiae evolvuntur.
5. Ubi istae secretiones supprimantur congestiones in aliis organis producuntur.
6. In regione ani habetur secretio qualitativo modo mutata, atque exanthema superaccedit.

Aetiologia. — Eadem momenta quae arthragoses producere valent, quoque haemorrhoides provocare possunt. Haereditariae pariter sunt.

Decursus. — Est chronicus.

Exitus. — In sanitatem, in alios morbos, vel in mortem.

Prognosis. — Generatim non est infausta.

Cura. — Requiritur radicalis; ratio vivendi corrigenda, plethora abdominalis compescenda.

Tria genera habemus.

G. 1. Pygagria (Lichen agrius)

G. 2. Dermathaemorrhoia (Haemorr. cutanea)

G. 3. Haemorrhoidelcasis (Ulcera haemorrhoid.)

FAMILIA DECIMAQUINTA SCROFULOSES.

Characteres.

1. Processus morbosus chylo atque organis secernentibus insidet, nec non in sanguine.

2. Scrofuloses per proprium corporis habitum se praebent, ita caput in ratione aliarum partium magnum est, nasus crassities, ac labium superius intumescit.

3. Vita vegetativa potissimum hic patitur.

4. Materia morbosa a sanguine recipitur; et postea in diversis organis paullatim deponitur, frequentius autem fit haec depositio in glandulis, membranis mucosis, cuti externa et ossibus.

Aetiologia. — Dispositio peculiaris advertitur in aetate juvenili et infantili. Momenta occasionalia sunt: aer humidus, victus pravus farinaceus, aqua corrupta, munditiës neglecta, defectus motus etc.

Decursus chronicus est.

Exitus. — Vel in sanitatem vel in alios morbos aut in mortem terminat.

Cura. — Sanguinis dyscrasia corrigenda est, materia morbosa e corpore eliminanda, ejusque absorptio promovenda.

Tres cognationes habentur.

Cognatio prima, Pustula scrofulosa.

Characteres. — Potissimum in aetate puerili evolvuntur, atque contagiosa sunt.

Tria habentur genera.

G. 1. Favus
G. 2. Alphus
G. 3. Rhypia

Cognatio secunda, Tuberculo scrofulosa.

Characteres. — Evolvuntur praecipue post vel ante pubertatem.

Genera habentur tria.

G. 4. Lupus
G. 5. Molluscum
G. 6. Keloïs

Cognatio tertia, Forma scrofulosa cutis.

Hae apostases non a secretione morbosa cutis efformantur, nullum habetur exanthema et haud contagiosae sunt.

Genera sunt sequentia.

G. 7. Scrofulophyma (scrofula textus cellularis)

G. 8. Scrofulonychia (scrofula unguium)

G. 9. Scrofulelcosis (Ulcera scrofulosa)

G. 10. Maliasmus (Malleus humanus)

FAMILIA DECIMA SEXTA PSORIDES.

1. Nonnulli credunt quod processus morbosus cuti insideat ast verum non est, sed in peculiari sanguinis dyscrasia consistit quae psorica compellatur.

2. Aegrotantes peculiari habitu donantur, colorem enim terreum ostendunt, musculi sunt debiles, emaciatio, morositas adsociatur una cum somnolentia.

3. Acarus sub epidermida evolvitur.

4. Systema nervosum in compassionem vocatur.

5. Veniunt sub forma papulae, vesiculae, pustulae, nodi, ac ulceris.

6. Fere semper sejunctae sunt.

7. Ardore ac pruritu comitantur, quae phaenomena sub calore adaugentur.

8. In metastases pronae sunt.

9. Raro per vires naturae sanantur.

Aetiologia. — Duplici modo oriri possunt, vel sponte, vel per contagium.

Praedispositionem inducunt, sexus virilis, homines classis inferioris, opificia nonnulla, aer hu-

porus, alimenta depravata, immunditia, et haereditas.

Decursus chronicus est.

Exitus. — Vel in sanitatem, vel in alios morbos, nec non in mortem finire possunt.

Prognosis generatim non infausta.

Cura. — Ante omnia potentiae nocentes removendae sunt, cura vero auxiliis tum internis tum externis perficitur.

Genera sunt sequentia.

G. 1. Prurigo (Scabies sicca)
G. 2. Scabies (Scabies vesiculosa)
G. 3 Psora (Scabies humida)
G. 4. Psorelcosis (Ulcera psorica)
G. 5. Serpigo (S. inveterata)

FAMILIA DECIMA SEPTIMA LEPROSES.

Characteres.

1. Processus morbosus sanguini ac chylo inhaeret.

2. Eruptio symptomatibus gastricis stipatur.

3. Producitur materia morbosa propria, quae in cute deponitur, ejus natura vero adhuc nos latet.

4. Uti Arthragoses per accessus quandoque se manifestat.

5. Systema nervosum quoque patitur, ita ut tremores, convulsiones, anaesthesia oriantur.

Aetiologia. — Peculiarem dispositionem in leproses ponunt nonnullae homiuum conditiones, aetas, temperamentum proprium, et corporis constitutio; magnum vero influxum exercet haereditas. Momenta occasionalia sunt: aer humidus, vicissitudines atmosphaericae, regiones paludosae, septentrionales etc.

Decursus semper chroonicus est, per totam enim vitam quandoque morbus durat.

Exitus. — In sanitatem, in alios morbos aut in mortem desinit.

Prognosis valde reservata esse debet.

Cura. — Sanguinis dyscrasia corrigenda est, caeterum cura rationalis instituere oportet.

Duae cognationes pertinent ad hanc familiam.

Cognatio prima, *Leprae evolutae.*

Characteres. — In hac cognatione symptomata leprae manifestiora sunt, quam in secunda cognatione; atque prodroma antecedunt.

Systema dein nervosum quam maxime io compassionem vocatur, et secretiones valde mutantur.

Ad hanc referuntur tria genera.

G. 1. Ophiasis (Lepra squamosa)

G. 2. Elephantiasis

G. 3. Neolepra

Cognatio secunda, *Leproides.*

Characteres. — Prodroma quasi deficiunt, vel sunt nullius momenti, systema nervosum illaesum remanet, secretio cutanea a norma non recedit; istae adfectiones minori quoque periculo stipantur.

Genera sunt sequentia.

G. 4. Ichthyosis
G. 5. Pachydermia (Elephantiasis Arabum)
G. 6. Leprelcosis (Ulcera leprosa)
G. 7. Plica

FAMILIA DECIMA OCTAVA THYMIOSES BEERSCHWAMFORMEN.

Characteres.

1. In hac familia prodroma occurrunt, uti dolores artuum, symptomata catarrhalia etc.

2. Evolutio materiae specificae uti in omnibus apostasibus habetur.

3. Per contagium aliis hominibus morbus communicatur.

4. Systema vasorum raro patitur.

5. Morbi substrata cutis, membranae mucosae, quandoque etiam ossa sunt, raro vero eodem tempore haec systemata insimul corripiuntur.

6. Colorem rubro-cupreum praebent.

Aetiologia. — Praecipua dispositio habetur in aetate juvenili; attamen in quocunque vitae tempore occurrere possunt. Momenta occasionalia sunt: aër impurus, aqua et alimenta corrupta, contagium, nonnullae piscium species, quare frequentius ad maris litos observantur.

Decursus est chronicus.

Exitus. — In sanitatem, in alios morbos, vel in mortem abeunt.

Prognosis generatim fausta est.

Cura — Caussae in primis removendae sunt; interne praestant diaphoretica, uti sulfur, decocta specierum lignorum; externe balnea juvant.

Genera sunt sequentia.

G. 1. Framboesia (Guineapocken)
G. 2. Radesyge (Küstenseuche)
G. 3. Pyrophlyctis (Feuerbeule)

FAMILIA DECIMA NONA SYPHILIDES.

Characteres.

1. Fomes morbosus syphilidis, uti in omnibus dyscrasiis in sanguine quaerendus est.
2. Sponte syphilis nunquam evolvitur, sed per contagium susceptum diffunditur.
3. Adfectio localis diversa esse queit.
4. Substratum praecipuum membranae mucosae sunt.
5. Sub lue veneres evolvitur materia specifica quae e sanguine in diversis textubus organicis deponitur.
6. Depositio modo citius modo serius evenit post primitivam infectionem.
7. Minime ad accessus hae depositiones recurrunt, sed de repente, locum habent.
8. Substrata quae a lue venerea corripiuntur sunt glandulae, membranae mucosae, cutis, ossa, raro cartilagines ac textus cellularis.

9. Syphilis primaria nonquam cutim foedat, crebrius secundaria.

10. Syphilis in cute sub diversissimis formis venit; quarum characteres sequentes sunt:

a. Colore proprio gaudent ex rubro-cupreo.

b. Nonnullas regiones praediligunt, uti sunt facies, frons, pinnae narium, scapulae ac dorsum.

c. Istae impetigines proprium spargunt odorem.

d. Duratio eorum indeterminata est.

e. Eruptiones absque dolore oriuntur.

f. Nullis metastasibus obnoxiae sunt.

11. Secretiones in genere mutationes non patiuntur, uti secretio salivae, urinarum etc.

12. Ubi syphilis per longum tempus organismo inhaereat, vires exhariuntur.

Aetiologia. — Syphilis uti notum est, nunquam sponte, semper vero per contagium oritur; hoc contagium tamen pro majore vel minore dispositione, facilius aut difficilius suscipitur. Haec vero dispositio dependet ab aetate juvenili, cuti tenera etc. etc.

Decursus semper chronicus est.

Exitus. — Vel in sanitatem, vel in alios morbos, aut in mortem terminat.

Prognosis. — Si morbus haud complicatus est, tunc prognosim felicem admittit.

Cura. — Auxiliis internis et externis therapia peragitur; specificum dein habetur in mercurio.

Genera sunt sequentia:

Gen. 1. Syphilokelis (Maculae cut. syphiliticae)
» 2. Syphilolepis (Syphilis cut. squamosa)
» 3. Syphilopsydrax (Syphilis cut. papulosa)
» 4. Syphilophlysis (Syphilis cut. vesiculosa)
» 5. Syphilopemphyx (Syphilis cut. bullosa)
» 6. Syphilojonthus (Syphilis cut. pustulosa)
» 7. Syphilodochthus (Syphilis cut. tuberculosa)
» 8. Syphilomykes (Syphilis cut. fungosa)
» 9. Syphilophyma (Syphilis in textu celluloso)
» 10. Syphilopsiloma (Alopecia venerea)
» 11. Syphilonychia (Affectio unguium syphilitica)
» 12. Syphilelcosis (Syphilis cut. ulcerosa)

FAMILIA VIGESIMA CARCINOSES.

Characteres.

1. Morbus in sanguine sedem suam uti aliae dyscrasiae habet, sed raro in individuis robustis primario modo evolvitur; nam haec sanguinis labes a dyscrasia syphilitica, scrofulosa, haemorrhoidali, vel psorica oritur.

2. Evolvitur in sanguine materia specifica, quae in uno vel alio organo deponitur.

3. Tria stadia observantur; primum stadium quietis, secundum stimuli, tertium destructionis.

In primo hoc productum parasiticum absque dolore incedit; in secundo dolores lancinantes persentiuntur, in tertio productum morbosum emollitur, et saniem destruentem generat.

4. Ab exordio isti morbi locales tantum sunt, dein universales fiunt.

5. Cutis vel primario, vel secundaris modo in illis invaditur.

6. Minime contagiosi sunt.

Aetiologia. — Aetas provecta majorem dispositionem in bosce morbos habet; in nonnullis familiis dein haereditario modo evolvuntur. Momenta occasionalia sunt; animi pathemata deprimentia, paupertas, irritamenta, contusiones, vulnera etc.

Decursus. — Est semper chronicus.

Exitus. — In mortem vix non semper terminantur.

Prognosis. — A sequentibus momentis dependit nempe: a forma, stadio, extensione, colore, momentis occasionilibus, recidivitate, ecc. et pro varietate horum momentorum etiam prognosis diversa esse debet. Generatim tamen infausta.

Cura. — Ante omnia patentiae nocentes removendae sunt; dein remedia modo interna, modo externa in usum vocantur.

Genera sunt quatuor.

G. 1. Scirrhoma (Cancer cutis)
G. 2. Encephaloma (Cancer mollis fungosus cutis)
G. 3. Splenoma (Fungus haematodes cut.)
G. 4. Carcinoliosis (Ulcera cancerosa cutis)

Characteres.

1. Vel sponte, vel per contagium producuntur isti morbi; nunquam primitivam sedem in cute habent, sed ratione secundaria oriuntur.

2. Nec a sanguinis dyscrasia gignuntur, nec ab aposthasibus uti illae secunda classis oriuntur.

3. Semper febri comitantur, cujus character, modo rheumaticus, modo catarrhalis, nunc gastricus, nunc typhosus est.

4. Certa stadia percurrunt.

5. Mutationes quae propter exanthemata in cute occurrunt variant pro eorum diversitate.

6. In omnibus formis cutis vita vegetativa morbosa adaucta est, ita ut turgor, calor et sensibilitas a norma extollantur.

7. Cutis decoloratio locum habet.

Aetiologia. — Hi morbi vel per contagium susceptum, aut sponte erumpunt. Aetas juvenilis et puerilis peculiarem dispositionem praebent pro eorum evolutione. Praecipua vero momenta occasionalia in aere, temperie, tempestate, genio epidemico et morbis praegressis quaerenda sunt.

Decursus. — Semper acutus est.

Exitus. — Vel in sanitatem, vel in alios morbos, vel in mortem finiunt.

Prognosis. — Fere semper reservata requiritur.

Cura. — Causae in primis removeri debent; therapia dein modificatur pro diversitate exanthematum.

FAMILIA VIGESIMA PRIMA RHEUMATOSES.

Characteres.

1. Fomes morbosus rheumaticos inquirendus est in membranis fibrosis, musculis, ligamentis, tendinibus, quae primario modo afficiuntur; membranae serosae ac textus cellularis secundario modo patiuntur.

2. Qualitas sanguinis non est mutata.

3. Systema nervosum plus vel minus afficitur.

4. Per dolores lancinantes, pungentes se enunciant, qui modo remittunt, modo intermittunt, et dependent a vicissitudinibus atmosphaericis.

5. In nonnullis systema nervosum, dum in aliis magis sanguineum patitur.

6. Exanthemata rheumatica symptomata sequentia communia habent.

a) Febris doloribus fixis aut vagis stipata.

b) Oriuntur sub copiosa cutis secretione acida.

c) Decursus eorum minime ad certa temporis spatia coercetur sicuti in caeteris familiis hujus classis.

d) Liquidum in exanthematibus contentum, uti acida, reagit.

e) Magnum ad metastases extendunt nisum.

Aetiologia. — Cutis in transpirationem valde prona, magnam dispositionem ponit in hosce morbos; hinc infantes ac feminae facilius aggrediuntur. Ad momenta occasionalia referuntur miasmata, electricitas, ac tempestas aestiva.

72

Decursus generatim est acutus.

Exitus vel in sanitatem vel in alios morbos est.

Prognosis reservata requiritur quia methastases facile oriuntur.

Cura in prophylacticam et therapeuticam sejungitur.

Sedulo cavendum est a frigore et humido atmosphaerico, ne hujuscemodi adfectiones evolvantur.

Si vero morbus jam viget diaphoretica mitiora antiphlogistica atque purgantia leniora suadentur.

Genera sunt tria.

G. 1. Milliaria

G. 2. Rheumatokeli (Roseola rheumatica)

G. 3. Plantaria

FAMILIA VIGESIMA SECUNDA CATARRHOSES.

Characteres.

1. Substratum quod potissimum in hac familia patitur est membrana mucosa organorum respirationis.

2. Adfectio modo ad unam partem coercetur, alias ad totum adparatum respiratorium diffunditur.

3. Sensibilitas membranae mucosae morbose adaucta est, uti patet a titillatione et ardore.

4. Non inflammatio, sed simplex congestio in membrana mucosa habetur.

5. Incboante congestiooe, secretio quoque intenditur, quae tussim excitat.

6. Muci secretio quoad quaotitatem et qualitatem alteratur, ita ut ab exordio mucus tenuis quasi vitreus est, dein crassior atque tenax evadit.

7. Ab hisce interuis adfectionibus cutis quoque in consensum trahitur.

Aetiologia. — Omnia iudividua in hanc adfectionem disposita sunt, praesertim sub aetate puerili ac juvenili.

Ad momenta occasiooalia demandantur vicissitudiues atmosphaericae, aestiva tempestas, atque genium epidemicum.

Decursus acutus est.

Exitus. — In sauitatem, in alios morbos, nec non in mortem abire potest.

Prognosis generatim est fausta, si vero complicationes oriuntur, tunc reservata requiritur.

Cura. — Si morbus decursum regularem absolvit, vires medicatrices naturae sufficiunt; si vero complicationes exsurgunt, diversa therapia indigemus.

Ad hanc familiam pertinent *Morbilli.*

FAMILIA VIGESIMA TERTIA ERYSIPELATOSES.

Characteres.

1. Fomes morbosus in membrana mucosa tubi gastro-enterici inhaeret, cujus secretio adaucta atque qualitativo modo alterata est.

2. Natura muci secreti, non uti in aliis secretionibus gastricis vel acida, vel alcalina, sed semper alcalina est.

3. In omnibus morbis hujusce familiae hepar prae ceteris organis in compassionem vocatur.

4. Sanguinis indoles mutatur, quod in aliis morbis gastricis non evenit.

5. Systema nervosum plus minusve patitur.

6. Hi omnes morbi cutanei semper secundario modo oriuntur.

7. Si erysipelatoses ad altiorem perveniunt gradum, membranae serosae immunes haud evadunt.

8. Quam maxime metastasibus obnoxiae sunt.

Aetiologia. — Homines temperamento cholerico donati, cum praevalentia systematis venae portarum peculiarem dispositionem habent in hos morbos. Momenta occasionalia sunt: aër humidus, calidus, nec non vicissitudines atmosphaericae animi pathemata, errores diaetetici etc.

Decursus est acutus.

Exitus. — In sanitatem, in alios morbos vel in mortem terminat.

Prognosis. — Causae amovendae sunt, dein regimen diaeteticum congruum observare oportet; adfectiones membranae mucosae mitigandae sunt; cura dein antiphlogistica et diaphoretica requiritur.

Comprehendit haec familia tres cognationes.

Cognatio prima, Erysipelas glabrum.

Characteres.

1. Forma hujus exanthematis est maculosa; maculae vero digito premente evanescunt, ablata praessione redeunt.

2. Nunquam vesiculas, aut bullas ostendunt, et quam maxime in metastases pronae sunt.

Habentur genera quatuor.

G. 1. Erysipelas
G. 2. Erythema
G. 3. Scarlatina
G. 4. Rubeola

Cognatio secunda, Erysipelas elevatum.

Characteres. — Exanthemata ad hanc cognationem spectantia, veniunt sub forma pomphi, vesiculae et bullae super maculam rubram insidentis, quae ardoris sensu in cute comitantur, et si fluidum continent semper naturam alcalinam exhibent, dein exsiccantur et crustam flavescentem efformant.

Genera sunt sequentia.

Gen. 5. Urticaria
» 6. Phlyctaenosis
» 7. Zoster
» 8. Pemphigus.

Cognatio tertia forma variolosa.

Characteres.

1. Sunt vesiculae ab exordio halone rubro circumdatae, quae dein in pustulas abeunt, contentum ab initio limpidum est, postea puriforme fit et naturam exhibens alcalinam.

2. Certa stadia percurrunt, atque in cicatrices terminant.

Comprehendit quatuor genera.

Gen. 9. Varicella
Gen. 10. Variola
Gen. 11. Varioloia
Gen. 12. Vaccina

FAMILIA VIGESIMAQUARTA TYPHOSES.

1. Substrata quae a fomite typhoso aggrediuntur sunt membranae mucosae, sanguis atque systema nervosum.

2. Passio sanguinis primario modo locum habet.

3. Crasis sanguinis morbose alienata est.

4. Systema nervosum prae ceteris valde patitur, quod haud parum pendet a sanguinis pervertita crasi; ideo adfectio systematis nervosi secundario modo oritur.

5. Membrana mucosa praesertim tubi intestinalis in ultimis morbi stadiis quam maxime afficitur.

6. Mutationes, quae in membrana mucosa occurrere possunt sequentem attentionem merentur.

a. Evolvuntur maculae circumscriptae.

b. Quandoque depositiones sub forma carbunculi contingunt, quae in gangraenam abeunt.

c. Maculae colorem rubrum habent.

d. Quandoque pseudo-membranae efformantur.

e. Nullo aut exiguo tantum dolore comitantur.

7. In cute maculae coloris rubro-fusci oriuntur, quae ad retropulsionem pronae sunt.

8. Nullis doloribus comitantur.

9. Nullam praediligunt cutis regionem.

10. Quandoque tantum ad superficiem corii circumscribuntur, alias autem textum quoque cellulosum sub cuti vigentem invadunt.

Aetiologia. — Typhoides vel sponte vel propter contagium evolvuntur.

Spontanea evolutio dependet a dispositione individuali, ab aetate, sexu, temperamento.

Momenta externa sunt miasmata, aër humidus paludosus, mephiticus, clima, alimentorum penuria etc.

Decursus acutus est.

Exitus. — In sanitatem, in alios morbos, aut in mortem terminat.

Prognosis valde reservata requiritur.

Cura partitur in prophylacticam et therapeuticam; ad primam pertinet remotio potentiarum nocentium. Quoad secundam congestiones sanguinis auferre; sanguinis dyscrasiam corrigere, et adfectiones membranarum mucosarum per antiphlogistica debellare.

Ad hanc familiam tria genera pertinent.

Gen. 1. Porphyrotyphus
(Typhus exanthematicus)

Gen. 2. Anthracotyphus
(Pestis bubonica)

Gen. 3. Ochrotyphus
(Febris flava)

THESES DEFENDENDAE.

1. *Morbi mere nervosi plerumque sunt intermittentes. Morbi mere intermittentes plerumque sunt nervosi.*

2. *Nevroses intermittentes sunt vel febriles, vel a febriles.*

3. *Nevroses intermittentes febriles injustissime dicuntur febres intermittentes.*

4. *Nevroses intermittentes ex affectione gangliari derivandae esse videntur.*

5. *Nevroses gangliares intermittentes cerebrales quasi nunquam, nevroses gangliares intermittentes abdominales quasi semper eum febre decurrunt.*

6. *Febris non nisi major aut minor esse, nunquam autem characteres qualitativos habere potest.*

7. *Catarrhalis hinc febris et rheumatica nonnisi catarrhus febrilis et rheuma audire possunt.*

31